

Radix perennis, simplex, fibrillosa: Folia radicalia primora elliptica, obsolete dentata, reliqua lineari-lanceolata, inæqualiter remotèque sinuato-dentata, omnia in petiolum attenuata, margine præsertim scabriuscula; caulina dentato-pinnatifida, summa lineari-lanceolata, integerrima: Pedunculi ex eadem radice plures, filiformes, nudi, foliorum longitudine, uniflori: Caulis pedunculis radicalibus vix longior, uno alterove folio munitus, apicem versus florifer; bracteæ lineari-acuminatæ, ex extremis pedunculis in caliculum laxum confluentes, dorso nervoso, setuloso, hispido: Flos parvus, 7. mill. longus: Calycis foliola 9 — 10 in cylindrum conniventia, lineari-acuta, margine submembranaceo, nervoso, setuloso: Corolla lutea, calyce duplò ferè longior: Ligulæ quinque-dentatæ: Semen lineare: Pappus sessilis, densis, et scabris pilis compositus: Receptaculum nudum.

H. in Cyrenaicâ.

*Expl. tab. XXI. fig. 1. a* Semiflosculus cum pappo et semine; *b* calycis foliolum.

HEDYPNOIS LACINIFLORA: Foliis caulinis amplexicaulibus, lanceolatis; pedunculis elongatis, supernè incrassatis, nudis; ligulis quadrifidis, lacinulis apice glandulosis. TAB. XVII. fig. 2.

Pars inferior plantæ deest: Caulis ramosus, in pedunculos abiens filiformes, elongatos, nudos, apicem versus crassescens, hirtos, unifloros: Folia caulina ad pedunculorum basim amplexicaulia, lanceolata, utrinque hirsuta, integerrima: Flos 10 — 11 millim. longus: Calyx cylindricus, totus setulis albis, contortis, brevibus refertus; basi bracteolis nonnullis calyculatus, brevissimis, ovato-acutis, linearibusque, adpressis; foliola decem, unicâ serie disposita, lineari-acuta, dorso nervosa: Corolla flava, calycis longitudinis tertiam partem superans: Semiflosculi tubus hispidus; ligula apice 4 — 5 fida, lacinulis apice glandulâ nigrâ notatis: Semina linearia, exteriora squamis laceris, brevibus; interiora paleis quinque coronata, lineari-acuminatis: Receptaculum nudum.

H. in littore Magnæ Syrtos.

*Expl. TAB. XVII. fig. 2. e* Semen disci pappo paleaceo coronatum; *f* semiflosculus exterior, cum semine.

CATANANCHE LUTEA: *Linn. Sp. Pl.* 1142. *Desfont. Fl. atl. II.* 259. *Smith Fl. gr. Prodr.* 145. *Guss. Cat. Pl. sicil. Ten. Fl. neap. II.* 176. *Seb. et Mau. Fl. rom.* 277. *All. Fl. ped. n.* 754.

H. in Cyrenaicæ collibus.

*Obs.* Fig. Barr. 1. c. vel pessima, vel speciem diversam refert. Fide Allionii in ligniticam civem recipio, licet in locis ab eodem memoratis eandem frustra perquisiverim, eiusdemque defectus in Galliâ Provinciali dubia confirmant.

CARDUUS TENUIFLORUS: *Willd. Sp. Pl. III.* 1652. *Smith Fl. gr. Prodr. II.* 149. *Ten. Fl. neap. Viviani Herb. Fl. lig. Decand. Fl. franc. IV.* 79.

H. in Cyrenaicæ montibus.

ATRACTYLIS CAESPITOSA: *Desfont. Fl. atl. II.* 254. *Tab.* 225. ACARNA CAESPITOSA: *Willd. Sp. Pl. III. p. III.* 1700.

H. in maritimis Tripolitanis.

STÆHLINA CHAMÆPEUCE: *Lin. Syst. Nat. ed 12: II.* 538. *Smith. Fl. gr. Prodr. II. p. I.* 163. SERRATULA Chamæpeuce *Linn. Sp. Pl.* 1147.

S. Caule fruticoso tomentoso; foliis sparsis linearibus, integerrimis, margine revolutis,



longissimis, floribus corymbosis, calycibus globosis, foliolis lineari-acuminatis, exterioribus subreflexis subulatis. *Nob. TAB. XXIII.*

Caulis totus denso tomento niveo tectus, 4 — 8 decim. longus, teres, erectiusculus, infernè simplex, denudatus, hinc ramulos 3 — 5 subverticillatos emittens, apicem versùs corymbosus, in pedunculos 4 — 6 sæpius unifloros, divisos: Folia sparsa, sessilia, linearia, acuminata, integerrima, 1. decim. cum dimidio longa, 3. millim. lata, ob marginem revolutum ferè filiformia; subtus incana, supernè, per ætatem præsertim, nudiuscula, superiora ad basim pedunculorum longè breviora, basim versus paulò latiora, quandoque utrinque lacinulâ unâ alterâve mucronatâ aucta: Pedunculi subnudi, sæpius uniflori. Calyx 2. cent. longus; totidemque latus, hemisphæricus, tomentoso-floccosus; imbricatus, foliolis lineari-acuminatis, interioribus apice purpurascens, erectis, exterioribus, basilaribus præsertim, rigidioribus, subulatis, patentibus: Corolla purpurea; flosculi duo centim. cum dimidio longi; tubus filiformis, basi incurvatus, supernè ampliatus, quinquefidus, laciniis linearibus, obtusis, suberectis: Stamina quinque; filamenta brevia, ad tubi dilatationem inserta, mediò plumosa, seu potiùs villosa-cirrhosa; Antheræ in tubum coalitæ, longitudinem laciniarum corollæ æquans, apice quinquedentatum, basi pro singulâ antherâ membranulas tenues bipartitas, seu bifidas emittens: Stylus lætè purpureus, longitudine antherarum; stigma brevissimè bifidum: Germen oblongum, teretiusculum, basi paulò coarctatum: Pappus germinis è calyce exsertus: Semen obovatum glaberrimum: Pappus densissimus, argenteus ex setulis crassiusculis, pilis brevibus, subæqualibus, disticis plumosis: Receptaculum setulis argenteis densissimis, mediam calycis longitudinem æquantibus, stipatum.

H. in rupibus maritimis Pentapoleos.

*Obs.* Non sufficit hanc speciem cum nonnullis congenerum ex gr. cum *S. dubia* comparasse, ut dissensu in characteribus genericis perspecto, in novum genus sistatur. In primis statuendum videtur, quomodo vetus Stæhlinæ genus reformare conveniat: Nam quot in hoc genere species totidem fortasse aberrationes; quæ si pro unaquaque specie sedulò notentur, ut jam in nonnullis optimo consilio facere adgressus est Clar. Smithius in *Fl. gr. Prodr.* tunc quid pro vetere *S.* genere retinendum, quid seiungendum perspicuè innotescet. Credo Sibthorpii fide clar. Smithium dixisse antheras basi non plumosas, cuius errorem facile erit oculatissimo Botanico recognoscere: Interim observare præstat, in speciebus, quæ antheris basi plumosis dicuntur, num antheræ ipsæ, an potiùs filamenta, ut in hâc specie, barbâ instruantur, quod minùs accuratè observatum fuisse suspicor. Veterum botanicorum huius speciei descriptiones, et figuræ prorsus ineptæ. Iconum quatuor quæ de hâc specie profferuntur, *Alpini De Pl. exot.* 76. *Plucknetii Alm. tab.* 94. *f.* 3. *Moris. Hist. Pl. III. tab.* 26. *fig.* 8. et *Ponæ Monte Baldo descr.* p. 75. quam pessimam appellem ambigo. In Italiâ, neque in Italis insulis, quod sciam, nondum reperta. In Florâ gallicâ quoque desideratur, licet nactâ occasione ex Stæhlinæ genere Clar. Decandollius, *Fl. franc. IV.* 106. ad *Cirsii* genus amendandam esse declaraverit: Magis Borealem latitudinem fortasse assequitur in oris Illyricis, ubi solertissimus Anguillara eandem reperisse refert in *Insula Veghia. Sempl. Par.* 202.

*Expl. TAB. XXIII. f. a* Flosculus cum semine, et pappi portione; *b* antherarum tubus cum filamentis corollæ insertis; *c* stylus; *d* semen.

SANTOLINA MARITIMA: *Linn. Mss. in Sp. Pl.* 1182. *Smith Fl. gr. Prodr. II. p. I.* 165 *Ten. Fl. neap. Seb. et Mau. Fl. rom.* 284. *Viviani pl. lig. cors. et sard. Herb.* ATHANASIA MARITIMA *Linn. Sp. Pl.* 1182. *Mant. II.* 464. FILAGO MARITIMA *Linn. Sp. Pl. ed I.* 192. DIOTIS CANDIDISSIMA *Desfont. Fl. atl. II.* 261. *Decand. Fl. franc. IV.* 201. *Savi Bot. etr. III.* 145.

H. in littore Tripolitano.





Prof. Viviani dis.

G. Pinx.